

huiusmodi processum ipsius abbatis decerni nullum per discretum aliquem mandare-
mus. Quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis
qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis quod canonicum fuerit appellatione
remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter obser-
vari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint,
censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere. Datum
Romae apud sanctam Mariam maiorem II. Non. Novembris pontificatus nostri anno
septimo.

R^{ta} gratis
Bonannus.

Nach dem Orig. im Grossherzogl. Staatsarchiv zu Weimar; das an einer hänfenen Schnur befestigt
gewesene Bleisiegel ist abgeschnitten.

No. 197. 1426. 14. Mai.

*P. Martin V. gibt dem Decan der Marienkirche zu Erfurt Auftrag, die Beschwerden des Probsts
und Convents des Thomasklosters über Beeinträchtigung im Gebrauch der bisher ihnen nach-
gelassenen Kleidung zu untersuchen und falls dieselben begründet sein sollten die früheren
Bestimmungen wiederherzustellen.*

Martinus episcopus servus servorum dei dilecto filio decano ecclesiae beatae
Mariae Erfordensis Maguntinensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem.
Apostolicae sedis providentia circumspecta sic ecclesiasticorum locorum praesertim
regularium illorumque personarum quarumlibet qualitates debet attendere sicque illa-
rum invigilare profectibus, ut omnis ab eis dispendii et perturbationis auferatur
materia ipsarumque quieti et commoditatibus consulatur. Exhibita siquidem nobis
nuper pro parte dilectorum filiorum Petri praepositi et Francisci Aldenborg prioris
ac conventus monasterii sancti Thomae apostoli in Lipczk per praepositum soliti
gubernari ordinis sancti Augustini Merseburgensis diocesis petitio continebat, quod
licet tempore quo dictus Petrus praefato monasterio in praepositum praefectus fuerat
praepositus et prior ac canonici dicti monasterii qui fuerunt pro tempore se regulari-
bus dicti ordinis institutis ac laudabilibus consuetudinibus in diversis regnis et pro-
vinciis per alios canonicos dicti ordinis ab antiquo observatis conformantes tam in
dicto monasterio quam etiam extra illud incedentes habitum honestum per canonicos
dicti ordinis gestari solitum, quandoque videlicet pallia longa et aliquando brevia, nec
non capucia ac birreta sive pilleos diversorum colorum, ac etiam certis temporibus
iuxta ipsius monasterii consuetudines in choro eiusdem ecclesiae capas sub alio habitu
factas fere ad instar caparum per fratres ordinis praedicatorum gestari solitarum
deferre consuevissent, tamen postmodum venerabilis frater noster Nicolaus episcopus
Merseburgensis subgestionibus ut creditur inductus dilecti filii Tilonis praepositi
monasterii sancti Mauricii extra muros Nuemburgenses etiam per praepositum soliti
gubernari dicti ordinis, qui post electionem de persona praefati Petri factam per
dilectos filios conventum dicti monasterii sancti Thomae praefato monasterio sancti
Thomae tunc vacanti de persona sua provideri procuravit; quod cum obtinere non